DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS GREAVES,

ANGLUS.

"*Non eadem ratio est, sentire et demere morbos:*
"*Sensus inest cunctis; tollitur arte malum.*"

OVID.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

VIRO

"INTEGRO VITÆ, SCELERISQUE PURO,"

FRANCISCO

MOIRÆ COMITI;

QUEM

"JUSTUM, ET TENACEM PROPOSITI,

"NON CIVIUM ARDOR PRAVA JUBENTIUM,

"NON VULTUS INSTANTIS TYRANNI

"MENTE QUATIT SOLIDA;"

SCOTICARUM BRITANNIÆ COPIARUM

IMPERATORI;

SENATORI PRUDENTI, INTEGRO JUDICI,

FORTI MILITI, BONO DUCI,

FIDO AMICO BENEFICOQUE,

PRINCIPI PARITER, PARITERQUE CIVIBUS

CARO ET ACCEPTO;

HANC DISPUTATIONEM,

OBSERVANTIA ET GRATO ANIMO

MOTUS,

DEDICAT

GULIELMUS GREAVES.

MEMORIÆ

DEFLETÆ UXORIS,

ANNÆ LYDIÆ GREAVES,

IN

QUA VIVA

VENUSTAS, DECOR, BONITAS, SIMPLICITAS,

AMOR, FIDES, PIETAS,

QUODAM CUM LEPORE

CONSENTIEBANT;

" O! CARISSIMA,

" — SUBIT AFFECTO NUNC MIHI, QUICQUID ABEST.

" OMNIA CUM SUBEANT; VINCIS TAMEN OMNIA, CONJUX:

" ET PLUS IN NOSTRO PECTORE PARTE TENES.

" TE LOQUOR ABSENTEM: TE VOX MEA NOMINAT UNAM:

" NULLA VENIT SINE TE NOX MIHI, NULLA DIES."

HOC

DIERUM, QUOS FUIMUS TER ET AMPLIUS UNA FELICES,

MONUMENTUM

CONSECRO

GULIELMUS GREAVES.

MEMORIÆ

DEFUNCTÆ UXORIS,

ANNÆ LYDIÆ GREAVES,

IN

CUJUS VITA

VENUSTAS, DECOR, BONITAS, SIMPLICITAS,

AMOR, FIDES, PIETAS,

QUONDAM CUM LEPORE

O carissima,

Omnia cum subeant, vincit tamen omnia conjux.

GULIELMUS GREAVES.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA.

PROOEMIUM.

§ I. MORTALES omni ævo pestilentes morbi invaserunt, et unà cum bellis, fame, terræ motibus, aliisque calamitatibus, insignem haud raró stragem ediderunt.

II. Non omni tamen ævo pestiferi morbi, quibus diminuitur mortalium numerus, iidem sunt. Nonnulli enim nostris majoribus infesti, præter nomen nobis ignoti sunt; dum alii, illis ne nomine quidem noti, inter nos, gras-

santur. Hujus generis est is morbus, de quo pauca scribere nobis in animo est.

III. Huic morbo nomina, alia alii, dixere medici *. Nostrâ verò ætate, *SCARLATINAM* plerique appellant; ubì, faucibus leviter, aut omninò non, affectis, neque comitante febre malignâ, summam cutem rubore suffundit, rubrisque maculis variat: *ANGINAM* autem *MALIGNAM* nominant; ubì insuper fauces inflammat et exulcerat, eumque maligna vis febris comitatur.

IV. Nonnulli medicorum, sicut CULLENUS, BURSERIUS, et haud ità pridèm WITHERINGIUS, *scarlatinam* et *anginam malignam* diversos omninò morbos existimant. Alii, et hi quidem eruditi et clari, velut HEBERDENUS,

---

* Vid. FOTHERGIL. *Account of the Putrid Sore Throat*, edit. quint., pag. 1; ubì præcipua gravioris morbi formæ, quam nunc *ANGINAM MALIGNAM* auctores appellant, synonyma memorantur.

GREGORIUS, CURREIUS, et nuperrimè ipse WITHERINGIUS, contendunt, quantumcunquè nonnunquàm specie differant, genere tamen convenire.

v. Auctores idcirco inducti sunt, ut *anginam malignam* et *scarlatinam* esse ejusdem generis morbos arbitrarentur; quòd semper unà simulque grassantur; quòd, ut HEBERDENUS*, GREGORIUS †, CURREIUS ‡, aliique satìs fidi medici observârunt, puerorum puellarumque iisdem parentibus natorum, et iisdem in ædibus habitantium, alii pessimâ *anginâ malignâ* afficiuntur, alii *scarlatinâ;* et quòd, præsertìm graves si sint, eandem curationem postulant.

---

* Vid. HEBERDEN. *Commentar. de morborum historia et curatione*, pag. 25. edit. LOND. M DCCC II.

† Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicina Practica* in *ACAD. EDIN.*

‡ Vid. CURR. *Medical Reports*, vol. II. pag. 427. annotat.

VI. Quum is sim, qui iis assentiar medicis, qui *anginam malignam* et *scarlatinam* congeneres species opinentur, utrasque communi nomine *SCARLATINAM* appellabo.

VII. *Scarlatina*, quo nomine nobis in animo est CULLENI tam *ANGINAM MALIGNAM* quàm *SCARLATINAM* comprehendere, potest definiri: *Morbus pestilens: febris modò synocha, modò typhus aut typhodes: tonsillæ et fauces aliquandò integræ; multò autem sæpiùs tumidæ, rubræ, et seriùs ociùs crustis mucosis albescentibus vel cineritiis, serpentibus, et ulcera tegentibus tectæ: cutis, inter secundum et quartum diem, rubescens, dein innumeris variata maculis; quæ, post tres dies, squamatìm decidunt: superveniens dein sæpè aqua intercus.*

VIII. Morbi sic definiti duæ species sunt: nempè *SIMPLEX*, quâ fauces non exulcerantur; et *ANGINOSA*, quâ fauces et vicinæ partes ulceribus fœdantur.

IX. *SCARLATINÆ ANGINOSÆ* duæ varietates

sunt: *BENIGNA* nempè, in quâ febris in *typhum* minùs vergit, et ulcera faucium non adeò inclinant in gangrænam; et *MALIGNA*, quæ febre et ulceribus indole pejoribus insignitur.

x. Quò nobis de hoc morbo scribentibus res lucido ordine procedant, consilium est memorare, quo tempore, et quibus in EUROPÆ partibus, primùm sæviret: dein narrare, quibus ægros malis afficiat: tùm notare, quæ in cadaveribus incisis morbida appareant: pòst investigare, quibus causis proveniat: tùm ostendere, quæ notæ periculum denuncient, quæ spe consolentur: postremò exponere, in quam curandi viam medici procedere debeant. De his deinceps partibus, at breviùs fortassè quàm pro magnitudine, dicere pergimus.

"——— *Venias, precamur,*
"*Nube candentes humeros amictus,*
"*Augur* APOLLO."
HORAT.

PARS I.

QUO TEMPORE, ET QUIBUS IN EUROPÆ PARTIBUS, PRIMUM SÆVIRET SCARLATINA.

XI. MORBUS, de quo scribimus, eâ formâ quam *ANGINAM MALIGNAM* appellant multi scriptores, in HISPANIA, anno post CHRISTUM natum millesimo sexcentesimo ferè decimo, primùm apparuisse dicitur. Hinc, paucis pòst annis, pervasit in MALTAM, SICILIAM, HYDRUNTUM, APULIAM, CALABRIAM, CAMPANIAM. Dein, anno millesimo sexcentesimo duodevigesimo, NEAPOLITANOS invasit, inter quos, per viginti plus annos, magnam stragem edidit *. Tùm, sicut epulis funebribus satiatus, cladem crudelem intermisit ; neque mul-

* Vid. AUREL. SEVERIN. THARSIENS. *De recondita abscessuum natura*, pag. 446. edit. NEAPOLI MDCLIII.

tò pòst, ut ex scriptorum silentio concludimus, NEAPOLITANIS finibus decessit.

XII. Quibus causis apud NEAPOLITANOS relanguerit, et in quas pòst orbis terrarum regiones migraverit hæc pestilentia, parùm constat. De hac enim re, silent scriptores.

XIII. TOURNEFORTIUS, morbum, de quo scribimus, invenit in MELO, unâ ÆGÆI MARIS insularum, quas CYCLADES appellabant veteres scriptores. Tam immani vi erat hæc *INFANTUM PESTIS*, ut febris et faucium ulcerum malignitate ægros ætate teneros duodequinquaginta horis raperet *.

XIV. Ubì in regionibus, quas memoravimus, hæc pestilentia se primùm ostendit, complures medici, ingenio et scientiâ insignes, nempè

---

* Vid. TOURNEFORT. *Voyage to the Levant*, vol. I. pag. 133.

Mercatus *, Sgambatus †, Cortesius ‡, Cletus ||, Severinus §, Heredia ¶ et Bartholinus **, animos ad eam attenderunt; partìm ut, signis et naturâ cognitis, rationem

* Vid. D. Ludovic. Mercat. Oper. Tom. v. Francof. m dc xiv.

† Vid. Jo. Andr. Sgambat. *De pestilente faucium affectu Neapoli sæviente* opuscul. edit. formâ quadruplice Neapol. m dc xx.

‡ Vid. Joan. Baptist. Cortes. *Miscellaneorum medicinalium decades denas,* edit. formâ duplice, Messanæ, m dc xxv.

|| Vid. Æt. Clet. signin. Op. *De morbo strangulatorio* edit. formâ octuplice Romæ, m dc xxxvi.

§ Vid. Aurel. Severin. tharsiens. *De recondita abscessuum natura.*

¶ Petr. Michael. de Heredia, *Oper. Medicinal.* edit. formâ duplice, Lugdun. m dc lxxiii.

** Vid. Thom. artholin. Exercitat. *De angina puerorum campaniæ siciliæque epidemica,* edit. Lut. Paris. m dc xlvi.

invenirent, quâ curaretur; partìm ut doctrinas et opiniones, suam quisque, defenderent.

XV. Morbus faucium pestifer, quem descripserunt WIERUS *, FORRESTUS †, RAMAZZINUS ‡; itemque is, qui anno millesimo septingentesimo trigesimo tertio EDINBURGI grassatus est ||; idem necne esset cum eo, quem persequimur, non satìs constat. Alios fuisse morbos, putavit FOTHERGILIUS §.

---

* Vid. JOH. WIER. *Observation. De Angina pestilente epidemica*, Lib. VI. Oper. pag. 910.

† Vid. PET. FORREST. *Observat. De Febribus publicè grassantibus*, lib. VI. pag. 150.

‡ Vid. BERN. RAMAZZIN. *De Constitut. Epidem.* Oper. pag. 195, et seq.

|| Vid. *Edinburgh Medical Essays*, vol. I. pag. 133.

§ Vid. FOTHERGIL. *Account of the Putrid Sore Throat*, edit. quint., pag. 2 et 3.

XVI. Anno millesimo sexcentesimo duodenonagesimo, pestilentem LONDINII grassari morbum vidit MORTONIUS *; quem, etiamsi *rubeolæ* speciem existimaret, nonnulli tamen putent fuisse *scarlatinam*.

XVII. Quin, anno millesimo septingentesimo trigesimo nono, LONDINII pestilens vagaretur, nemo, quantùm scio, dubitat †. Ex hoc tempore, usquè ad nostrum, in aliis atque aliis BRITANNIÆ partibus apparuit; at modò levior, modò gravior, pro anni tempestate, atque cœli et affectorum corporum habitu.

XVIII. FOTHERGILIUS, vir sanè non solùm ingenio et scientiâ clarus, sed etiam fide et hu-

---

* Vid. MORTON. Oper.

† Vid. FOTHERGIL. *Account of the Putrid Sore Throat*, pag. 28.

manitate, nostratum primus *MALIGNAM SPECIEM* morbi, quem agitamus, accuratè descripsit. Ex iis itaque, quæ de ea literis tradidit, haud pauca excerpemus. Multùm, in cæteris morbi formis describendis, SYDENHAMO et HEBERDENO auctoribus utemur.

PARS II.

QUIBUS ÆGROS MALIS AFFICIAT SCARLATINA.

XIX. QUUM *scarlatinæ* varietates malis non per omnia iisdem ægros afficiant, res videtur poscere, ut singulas describamus. Nisi enim distributè persequamur, notæ quædam, uni varietati ferè propriæ, omnibus communes videantur.

XX. *SIMPLEX.*—*Scarlatina simplex*, qualem descripsit SYDENHAMUS, et qualem etiamnum interdum vident medici, morbus levis est, neque periculosus.

XXI. Quanquam nullo non tempore anni accidere potest, tamen fugiente plerumquè æstate se ostendit. Quocunque tempore acce-

dit, infantes, præ cæteris, adoritur, at interdum integras familias.

XXII. Ineunte morbo qui afficiuntur, ii leviter horrent, dein incalescunt, ut accedentibus aliis febribus solent. De insolito quoque languore et lassitudine conqueruntur; sed, cùm plerumquè stomacho parùm ægri sint, raró nauseâ urgentur et vomitu.

XXIII. Posteà, secundo ferè die aut tertio, universa plerumquè cutis, præsertìm tamen pectoris et superiorum extremitatum, intumescentibus simul, etiamque paululûm rigescentibus manibus, præter solitum rubescit, et parvis maculis rubris interstinguitur; quæ, utì crebriores sunt, latiores, etiamque rubriores, quàm quibus *rubeola* cutem variat, ità minùs uniformes *.

---

* Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 260. edit. LUGDUN. BATAV. MDCCXXVI.

XXIV. Accedente rubore, cutis, hucusquè præ halitu parcissimo aut nullo sicca, remollescit, dein insudat; atque morbus, inclinatis signis, tendit ad salutem.

XXV. Post duos tres quatuorve dies, languescente rubore, cuticula, innumeris rimulis captis, in squamas exiguissimas abit; quæ farinam summo corpori inspersam referunt *. His decidentibus, revalescit ægrotus; et, paucis plerumquè diebus, pristinas vires redipiscitur.

XXVI. *Anginosa benigna*,—similitèr atque *simplex*, ab alternis horroris et caloris vicibus incipit. Ægrotantes autem multò magis languent, et majore anxietate ac præcordiorum gravitate premuntur.

XXVII. Hæc *scarlatinæ* forma, præcipuè inter impuberes utriusque sexûs, vulgatur. Qui

* Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 260.

mares vigesimum complêrunt ætatis annum, eos rarò adoritur; eos adhuc rariùs, qui trigesimum. Non æquè tamen parcit puberibus fœminis: namque, quamvis, quo plures annos natæ sunt, eo securiores existant, tamen non modò adultas, sed etiam effœtas vetulas, haud paucas eâ correptas curavit HEBERDENUS *.

XXVIII. Die primo vel secundo, præter solitum rubet cutis, et plerumquè leviter dolent fauces. Eodem fermè tempore, in nonnullis glandulæ intumescunt, cùm aliæ, tum maximè eæ post aures; et modò digeruntur, modò suppurant et abscedunt. In aliis verò ægris, tam quibus parcit morbus, quàm quibus mortem affert, tument membra superiora, præsertìm manuum digiti.

XXIX. Aliquandò rubor se in universam cutem diffundit, aliquandò in eam tantùm pec-

* Vid. HEBERDEN. *Comment. de morbor. hist. et curat.* pag. 19 & 20.

toris et brachiorum. Haud raró, ut vidit HEBERDENUS*, tantùm exterior carpi pars languido rubore suffunditur, dum cæteris corporis partibus constat color naturalis. Quæ cutis pars rubet, ea jam nec maculis varia est, nec eminentibus aspera; jam lenticulis asperatur, quales ex urticis ei applicatis oriuntur. Interdum quoque rubor hìc saturior est, illìc languidior. Imò, nonnunquàm rubentibus partibus hìc illìc sparguntur exiguæ pustulæ, qualibus cutem variat *rubeola* †.

XXX. Progrediente morbo, acris nonnunquàm humor ex capite defluit in fauces et nares; qui partìm illìnc salivæ formâ exspuitur, partìm hìnc specie tenuis pituitæ destillat. Eâ hic humor naturâ est, ut non solùm auditum obtundat, atque faciat ut æger raucus evadat vel ferè mutus; sed etiam gustatum hebetet, et

* Vid. HEBERDEN. *Comment. de morbor. hist. et curat.* pag. 17.

† Ibid.

odoratum. Quinetiam nares nonnunquàm et labrum superius adeò exedit et exulcerat, ut supernata crusta multos dies, post morbi finem, remaneat.

XXXI. Haud rarò, ab initio hujus *scarlatinæ febris* ad finem usquè, ægris, singulis noctibus, labat animus. Sed, ut paucæ febres sunt, in quibus sæpiùs desipiunt ægri; ità forsan nulla, in qua rariùs periculum indicat delirium. Nam in cæteris febribus, ægroti rarò antè suæ mentis non sunt, quàm in malis versantur: sed in hac, primo sæpè die, intra verba desipiunt; atque aliquandò, etiamsi nullæ periculum notæ ostendant, unaquâque nocte ad finem aliena loquuntur *.

XXXII. *Scarlatina*, quam hìc persequimur, licèt plerumquè periculo vacet, imò adeò in-

---

* Vid. HEBERDEN. *Commentar. de morbor. hist. et curat.* pag. 19.

terdùm levis sit, ut febris, quam movet, paucis diebus conquiescat, tamen aliquandò lethifera est. Quos interemptura est miseros, ii, quinto plerumquè quartove die, torpescunt; aut difficulter spirant, et, quamvis pulmonibus anteà sani, cruenta expectorant. Imò nonnulli, at perpauci, quos major malorum vis premit, certamine superati, triduo morti succumbunt *.

XXXIII. Qui feliciores, conquiescente febre, revalescunt, eorum nonnunquàm glandulæ sub auribus tument, et haud parùm dolent, imò interdum abscedunt. Aliquandò vel testiculi intumescunt; artusque diutiùs aquâ inter cutem premuntur, atque doloribus, quales movet *rheumatismus* †.

XXXIV. Morbo finito, summæ ubique cuti

* Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 20.

† Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 20.

superincrescit nova cuticula, quæ, veteris detersæ loco, eam tutet, ne externorum appulsu et admotu defricetur et lædatur.

XXXV. *ANGINOSA MALIGNA*,—pariter atque *BENIGNA*, plerumquè, inter initium SEPTEMBRIS et DECEMBRIS finem, vulgari incipit. Etsi enim eâ naturâ est, ut nulla eam anni tempestas possit exstinguere, mensibus tamen autumnis præcipuè et hiemalibus grassatur *. De vi suâ aliquantùm remittit vernis mensibus, atque æstivis plerumquè interquiescit.

XXXVI. Non solùm in BRITANNIA, sed etiam in iis EUROPÆ regionibus, in quibus se primùm ostendit, impuberes, præ adultis, adoritur; puellas, præ pueris; fœminas, præ maribus; imbecillos imbecillasque, præ sanis et validis. Mares fœminæque adulti et firmi,

---

* Vid. FOTHERGIL. *Account of the Putrid Sore Throat*, edit. quint. LOND. MDCCLXIX. pag. 30.

utì raró corripiuntur, ità correpti raró pereunt*.

XXXVII. Ubì unum familiæ infantem invadit, plerumquè adoritur fratres quoque, si qui, et sorores; nisi tempestivè caveant parentes, ut in secretam ædium partem secedant, nullumque his cum infecto intercedat commercium. Vel adulti adultæve, qui ægris assident ut opem et medicinam ministrent, modò ex horum oribus halitum in pulmones accipiant, raró non morbo plùs minùs afficiuntur †.

XXXVIII. *Scarlatina*, quam persequimur, tantâ plerumquè vertigine accedit, quanta solet animi deliquium antegredi; et algore aut horrore, quali advenit intermittentis accessio. Pòst paulò corpus incalescit; atque dein, per

---

* Vid. FOTHERGIL. oper. citat. pag. 31.

† Vid. oper. citat. pag. 31.

aliquot horas, horror et calor vices alternant. Horroribus tùm conquiescentibus, calor auctâ vi permanet: atque æger conqueritur de acuto capitis dolore; de faucium, quasi ulcerosarum, æstu, magis quàm dolore; de rigiditate colli; de nausea, cum vomitu alvive profluvio, vel utrisque. Paulò pòst rubet et tumet facies: oculique inflammati illachrymantur, ut in *rubeola*. Simul sunt jactatio, anxietas, et languor *.

XXXIX. Morbus haud rarò ante meridiem adoritur. Advesperascente die, ægrotans incalescit; seque, ad matutinas usquè horas, insomnis jactat. Dein, post brevem et turbatum somnum, unicam sæpè quietem, quâ per complures noctes continuas fruitur, sudor erumpit; qui, quippè cùm calorem mitiget, et

* Vid. FOTHERGIL. oper. citat. pag. 31 et 32.

jactationem sedet, nonnunquàm facit, ut morbus intermittentem febrem simulet *.

XL. Paulò post morbi accessum, inspicienti medico *uvula* et tonsillæ tumidæ apparent: et non solùm hæ partes, unà cum *velo pendulo palati*, et internis prope fauces buccis; sed etiam fauces ipsæ, et posterior *pharyngis* pars, quantùm oculi perlustrare possunt, colore florido rubent. Præ cæteris tamen partibus, hoc colore florent posterior palati margo, anguli super tonsillis, et tonsillæ ipsæ. Ruboris vice, aliquandò conspicitur macula ampla, figurâ inæqualis, ex albo colore in pallidum languescens, cujus marginem circumit floridus rubor. Color albus eum pressæ digito gingivæ refert; vel perindè est, ac si maturum pus maculæ subesset †.

---

* Vid. Fothergil. ejusd. oper. pag. 32.

† Vid. ejusd. oper. pag. 33.

XLI. Secundo plerumquè die, facies, collum, pectus, et manus ad extremos usquè digitos, intumescunt; simulque saturato rubore suffunduntur, perindè atque solent partes erysipelate correptæ. Digiti enimvero haud raró sic rubent, ut, iis solis inspectis, medicus morbum agnoscat *.

XLII. In brachia, aliasque partes, papulæ plurimæ, vicinis partibus aliquanto rubriores, oculis observantur. Ut ampliores sunt in iis ægris, qui languidiùs rubent, et in iis ejusdem ægri partibus, ità magis prominent. Hujusmodi plerumquè partes sunt, brachia, pectus, inferioresque extremitates †.

XLIII. Rubescente cute, nausea plerumquè remittit et conquiescit. Albidæ autem in faucibus partes in cinereum colorem vergunt:

---

* Vid. FOTHERGIL, ejusd. oper. pag. 33 et 34.

† Ibid.

et nunc primùm apparet, quod suppurati tegumentum videretur, idem esse crustulam, quæ æquale ulcusculum contegat *.

XLIV. Omnes faucium partes, quas suprà memoravimus, aptæ sunt, quæ sic ulcerentur. Ulcuscula autem plerumquè primùm conspiciuntur in angulis super tonsillis, vel in tonsillis ipsis. Sæpè etiam observantur in arcu, quem formant *uvula* et una tonsillarum: necnon etiam in posteriore *pharyngis* parte, et in buccis internis; itemque in linguæ basi, quam, sicut sordida pellicula, supertegunt. Ubì morbus mitis est, in una harum partium pluribusve, crustularum vice, conspicitur ulcus leve, et figurâ inæquale; quod alitèr à sanis partibus vix dignosci potest, ac aliquâ quam facit superficiei inæqualitate †.

XLV. Glandulæ utrobiquè sub auribus ple-

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 34.

† Vid. ejusd. oper. pag. 35.

rumquè intumescunt, indurescunt, et tactu dolent. Cùm morbus gravis est, collum et guttur circumdat ingens, qualem efficit aqua intercus, tumor; qui nonnunquàm ad pectus se diffundit, et, utì fauces coangustando morbi vim aggravat, ità gravius ægro intentat periculum *.

XLVI. Die ad vesperam inclinante, calor et inquietudo increscunt; neque rarò, animo labante, delirat ægrotus. Nonnulli ægrotorum, vel primâ nocte, suæ mentis non sunt. Hoc tamen morbo affecti non similitèr delira fantur, atque ii qui aliis morbis laborant. Percunctantibus enim, quemadmodùm se habeant, et numquid velint, aptè respondent, quamvis paulò festinantiùs. Soli secum mussitant; neque raro tùm primùm se desipere indicant, ubì plùs justo student videri composito animo. Tales ii se præbent, qui vigiles

* Vid. Fothergil. ejusd. oper. pag. 35.

sunt, et ferè insomnes. Nonnulli autem stupent sopore, neque, quid iis dicant aut faciant adstantes, animadvertunt *.

XLVII. Sic, per duos, tres, pluresve dies continuos procedit morbus. Vespere appropinquante ægri incalescunt, et irrequieti fiunt. Noctu calor et inquietudo augentur; neque hæc mala et delirium minuuntur, donec, primo mane, corpore æqualiter toto sudor plùs minùsve profusus erumpat. Per paucas dein horas remittunt plùs minùs. Remanet autem languor, de quo sæpè plùs, quàm de cæteris malis, ægri conqueruntur †.

XLVIII. Per totum morbum, cor et arteriæ multo crebriùs solito moventur; enimvero haud raró centies et vicies, imò interdum vel crebriùs, sexagesimâ horæ parte. Aliàs arte-

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 35 et 36.

† Vid. ejusd. oper. pag. 36.

riarum ictus duri et parvi sunt: aliàs molles et pleni; at neutiquàm æquè validi et firmi, ac solent in morbis inflammationem habentibus, qui æqualem caloris vim, et arteriarum motuum celeritatem excitant *.

XLIX. Sanguis ex vena, paulò post morbi accessum, emissus, plerumquè est florido rubro colore. Ejus tamen crassamentum non id sanguinis, ex sano emissi, spissitudine et tenacitate æquat; sed laxitate magis refert *gelatinam*. Serum flavum est, et solito abundantius. Verùm sæpè tamen sanguis, præsertìm ubì jam duos tresve dies continuavit morbus, et interdum, at rarissimè, ferè à primo accessu, solito glutinosior est †.

L. Urina initio cruda est, et pallore refert lactis serum. Progrediente morbo, perindè

---

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 37.

† Vid. ibid.

flavescit, ac si ei inesset diluta bilis. Simul autem atque morbus eò, ut sanetur, se inclinat, atque revalescit æger, urina turbida fit, et furfuraceum deponit sedimentum *.

LI. Morbi accessu alvus plerumquè fluit; et, quæ excernit, ea persæpè biliosa sunt, et, sine dolore, dejiciuntur. Ex quo verò tempore conquiescit hoc profluvium, alvus, modò signa levia sint, raró quicquam sponte infrà transmittit, donec morbus inclinaverit. Aliis verò ægris, præ aliis corporis constitutionibus, alia est alvus †.

LII. Ægri minùs plerumquè sitiunt, quàm in aliis morbis acutis. Lingua plerumquè humida est; et raró sordidâ pelliculâ contecta. Sunt tamen nonnulli ægri, quorum linguis superincrescit crassa sordida pellicula; et hi ple-

---

* Vid. FOTHERGIL, oper. citat. pag. 37.

† Vid. ibid.

rumquè conqueruntur de sensu prope linguæ radicem molesto, qualem ulcera movere solent *.

LIII. Usquè eò nonnunquàm intumescunt *uvula* et tonsillæ, ut gulæ introitum plurimùm angustent. Quanquam hunc prætereà introitum circumsident ulcera vel crustulæ, ægri tamen sæpè opinione faciliùs devorant. Haud raro tamen tonsillæ usquè eò intumescunt, et descensui in stomachum officiunt, ut, ubì æger conatur glutire, maxìma ingestorum pars per nares rejiciatur †.

LIV. Haud raro ægri, brevi post morbi accessum, conqueruntur de graveolente et putrido odore in faucibus et naribus; qui sæpè, ante ulla ulcera visa, nauseam movet ‡.

---

* Vid. FOTHERGIL. oper. citat. pag. 38.

† Vid. ibid.

‡ Vid. ibid.

LV. Quos magna vis morbi urget, iis totæ intùs nares, quatenus inspiciens medicus lustrare potest, sæpè saturatè rubent, aut penè livent; et, post unum alterumve diem, ex his destillat sanies tenuis et acerrima, aut cum tali sanie commistus albus humor putridus, qui adeò acris est, ut, quibus partibus defluit et paulispèr adhæret, easdem exulceret. In infantibus, ætateve et constitutione tenerrimis, qui tali potissimùm exulcerationi opportuni sunt, labia haud rarò colore sunt naribus similia; et, ab interna parte, obsessa pustulis, ex quibus ruptis effluit *ichor* tenuis, qui oris angulos, et vicinas his genas exulcerat *.

LVI. Hujus humoris acris pars, utì videtur, præsertìm ab infantibus, qui nesciunt aut nequeunt exspuere, cum saliva et ingestis devoratur, atque, similiter ac genas, stomachum itemque alvum irritat atque ulcerat. Hinc

* FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 38. et 39.

infantes, modò gravis morbi duobus tribusve diebus supervivant, nonnunquàm fœdissimâ alvi proluvie, imò etiam malis, qualia movet ulcerosa intùs alvus, torquentur; atque, doloribus ac miseriis per aliquot forsan hebdomadas cruciati, tandem moriuntur macie confecti. In nonnullis infantum, itemque adultorum quos magna morbi gravitas exercet, partes, ano conterminæ et vicinæ, itidem exulcerantur hâc sanie; quæ, etiamsi per totam perlapsa sit alvum, acrimoniæ tamen nihildum amisit *.

LVII. Nonnunquàm, sub morbi initium, nares sanguinem effundunt; et in fœminis, quæ pubuerunt, fluunt menses diù ante expletam periodum, quâ redire solent, vel, si solito circuitu finito redeant, præter solitum abundant. Nonnunquàm virgines, quæ in eo sunt

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 39. et 40.

ut pubescant, urgente hoc morbo, fœcunditatis primitias fundunt *.

LVIII. Ut in robustis et sanguine plenis hæc profluvia rarò prosunt; ità in teneris et delicatis multùm nocent, itemque in robustis, modò languorem efficiant, cæteraque simul mala multùm aggravent †.

LIX. Nonnunquàm, præsertìm postquàm æger plures jam dies cum morbo colluctatus est, profusiones sanguinis ex naribus, et ore, imò ex aure, subitam et inopinatam ægro mortem afferunt. Hujusmodi profluvia fortassè, ut conjiciunt HEREDIA ‡ et FOTHERGILIUS, ori-

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 40.

† Vid. ibid.

‡ Vid. HERED. oper. suprà citat. pag. 100.

"Malignam," inquit hic auctor, "significationem "præbet segnis sanguis stillans è naribus; ex corro-"sione quippe vasorum, et putrilagine emanat, in-

untur magis ex ramusculis arteriarum erosis; quàm ex vasorum quæ sanguinem vehunt plenitudine, vel Naturâ ex surculis arteriarum ruptis dilatatisve sanguinem eo consilio effundente, ut morbum ad salutem inclinet *.

LX. Tres hoc morbo ægri, qui FOTHERGILIO curæ erant, sanguinis profusione affecti sunt. Ex his duo revaluerunt; tertius sanguinis profluvio è naribus antè mortuus est, quàm ei succurri potuit †.

LXI. Interdum vel in iis, qui tantâ vi mor-

" nuitque certissimam mortem, quia putredo internè
" cohiberi non potest:—ideo periculosissimus cense-
" tur sanguinis fluxus ex naribus aut ore. Quidam
" cum hoc signo nullum vidisse liberatum docent:
" nos verò unicum solum ægrotum summâ diligentiâ
" à tanto periculo vindicavimus."

* Vid. FOTHERGIL. oper. citat. pag. 40. et 41.

† Vid. ejusd. oper. pag. 41.

bi urgentur, quanta mortem allatura est, ut in duabus fœminis à FOTHERGILIO memoratis, quarum una tertio morbi die perivit, quarto verò altera, nulla ulcuscula vel crustulæ in faucibus conspiciuntur *.

LXII. Nullum morbo constat tempus, ex quo aut victus inclinare ad salutem incipit, aut victor ad mortem tendere. Quibus felicibus sors est revalescere, iis aliquandò primo improsperæ valetudinis die, sæpiùs verò tertio, quarto vel quinto, defluente cutis rubore, calor remittit: arteriarum motus, jam usquè ab initio celerrimi, nunc tardiores fiunt: colli glandulæ detumescunt: faucium crustulæ decidunt: ulcuscula renascente carne explentur, et sanescunt. Quibus fortunatis JUPITER sic permisit revalescere, ii incipiunt noctu placidâ quiete frui; interdiu, dum vigiles sunt, ani-

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 46.

mo esse constante et composito, atque cibos appetere et concoquere *.

LXIII. Quibus verò infelicibus mortem LIBITINA parat, iis notæ funestæ malorum ultimum prænunciant. Die post morbi accessum primo, secundo, tertiove, omnia in pejus ruere incipiunt. Languor, anxietas, vigilia, delirium, increscunt. Diarrhœa pessima vires dissipat. Faucium ulcuscula livescunt aut nigricant, pessimèque fœtent. Cutis rubor defluit, et evanescit. Inalgescunt membrorum extremitates. Hebescunt oculi. Arteriæ medici explorantis digitum pulsant ictibus parvis, crebris, et duris; demumque magis tremunt et formicant, quàm pulsant. Spiritus difficillimè trahitur. Interdum, præcipuè ubì pessima diarrhœa urget, saliva deficit: siccescunt fauces: tumores externi multùm augescunt: et fæces, inscientibus ægris, elabuntur.

---

* Vid. FOTHERGIL. ejusd. oper. pag. 36. et 37.

His malis confecti, miseri modò viginti quatuor ab initio morbi horis *; modò tertio †, quarto ‡, quintove die ||; modò seriùs, intereunt.

LXIV. Faucium inflammatio nonnunquàm serpit in asperam arteriam. Fieri enimvero non potest, quin acris humor, unà cum hausto spiritu, in hanc fistulam accipiatur. Vero igitur haud absimile est, ut putat CULLENUS, in hâc aliquandò fistulâ inflammationem oriri; et ægrotum pari ratione suffocari, ac verâ *anginâ tracheali* correpti §.

* Vid. FOTHERGIL. oper. citat. pag. 48.

† Vid. ejusd. oper. citat. pag. 45.

‡ Vid. ejusd. oper. pag. 46.

|| Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 24.

§ Vid. CULLEN. *First Lines*, vol. I. § CCCXV.; —itemque HEBERDEN. oper. citat. pag. 23. et 24.

LXV. Nonnullos à *maligna scarlatina anginosa* revalescentium invadunt dolores, et tumores, quales movet *rheumatismus* *.

---

* Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 24.

PARS III.

QUÆ IN CADAVERIBUS INCISIS MORBIDA APPAREANT.

LXVI. Expositis malis, quibus *scarlatina* unâ aliâve formâ mortales afficiat, nunc res postulare videtur, quæ in patefactis cadaveribus, præter naturam, appareant, breviter notare.

LXVII. Inspecto cadavere, nonnunquàm oculis obveniunt, *velum pendulum palati* prorsùs putridum: tonsillæ extrinsecùs fuscæ, sordidissimæ; intrinsecùs lividæ: uva muco crassitudine membranam simulante oblita: aspera arteria, ad partem usquè, ubì se dividit in duos ramos, simili illita muco; qui, superiorem hu-

jus fistulæ partem versus, membranæ speciem præ se fert; inferiorem, muco similior est *.

LXVIII. In nonnullorum cadaveribus guttur et gula conspiciuntur *sphacelo* affecta, usquè ad stomachum; in aliorum, aspera arteria, ad pulmones usquè †; in aliorum, ipsi prætereà pulmones ‡.

LXIX. Glandulæ sub auribus, itemque *lymphaticæ glandulæ*, cùm eæ colli, tum eæ *mesenterii*, tumidæ sunt. Membrana, quæ nares investit, et haud scio annon etiam ea quæ tubos EUSTACHIANOS, inflammata invenitur, et exulcerata, imò modò gangrænâ affecta.

---

* Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 24.

† Vid. FOTHERGIL. oper. citat. pag. 15.

‡ Vid. HUXAM. *on the Ulcerated Sore Throat.*

PARS IV.

QUIBUS CAUSIS PROVENIAT SCARLATINA.

LXX. *Proclivitas.*—Quum, ut suprà diximus, impuberes, præ adultis, huic morbo opportuni sint; fœminæ, præ maribus; imbeciles, præ validis; ex morbis revalescentes, præ iis qui prosperâ utuntur valetudine: est, quòd concludamus, proclivitatem consistere in debilitate; sive quæ congenitâ corporis constitutione oritur, sive quam, vitâ labente, fortuitæ causæ efficiunt.

LXXI. Ità cùm sit, non dubium est, quin nativa corporis imbecillitas, et prægressi morbi, gravis exercitatio, inedia, vigilia, et alia

quotquot mortales infirment, aptiores reddant, qui grassante hoc morbo corripiantur.

LXXII. *Excitans.*—Causa autem, quæ *scarlatinam* excitat, est, ut consentiunt omnes medici, pestilens tabum sui simile; quod per aëra diffusum, aut contactu, vel ministeriis in vicem, vel ipsâ curatione sparsum, morbum vulgat.

LXXIII. Hæc tabes, quippe, pariter atque eæ quibus excitantur *variola* et *rubeola*, alienigena, antiquis EUROPÆIS ignota erat. Quinetiam, haud secùs atque eæ, quibus enimvero perennitate similis est, autumno reviviscit; hieme viget; languescit vere; et æstate proindè interquiescit, quasi quiete vires reficiat, ut, ineunte autumno, viribus renovatis mortales denuò adoriatur. In magnis tamen urbibus viris opulentis, interdum vel æstate hìc illìc sese, sed mitiorem, ostendit.

LXXIV. Origo hujus, pariter atque aliorum

taborum, obscurior est, quàm ut cognosci possit. Novimus quidem, morborum nonnullos pestilentes esse, alios non pestilentes: et ex pestilentibus alios tabo per aëra sparso vulgari posse; alios non, nisi contactu inquinatorum corporum, vel rerum, quæ ipsæ, aut per alias, hujusmodi contactu inquinatæ sint. Sed, undè sit origo tabis pestiferæ; et quemadmodùm ex quâque tabe sparsâ generascat proles morborum, quibus

> " ——— *Facies non omnibus una,*
> " *Nec diversa tamen,*"
>
> OVID.

sed qualem decet eâdem matre natorum; à medicis, pariter ac hominum vulgo, prorsùs ignoratur. *Chymistæ*, artificiosissimi rerum subtilium indagatores, nondùm potuerunt quamque tabem pestiferam prehensam vasis cohibere; et igne, aliisve ministris comperiri, quarum naturarum mistu creetur, createque pestilentiam, quæ vulgetur inter mortales, gignat.

LXXV. Quâ viâ tabes *scarlatinæ* genitrix in corpus se insinuet, parùm constat. SUTTONIUS periculis compertus est, tabem, undè oriatur *variola*, per cutem in corpus accipi *. Tabem, ex quâ nascatur *scarlatina*, itidem per cutem corpus intrare, vero haud absimile est. Sed, de re intentatâ et incompertâ, nihildum amplius quàm conjecturas capere possumus.

LXXVI. Nequedum certò cognitum habent medici, quamdiù in corpore antè delitescat tabes, quàm morbum excitet. Sanam puellam memorat HEBERDENUS, quæ, quinto pòst die, quàm accessit ad puerum hoc morbo implicitum, cœpit ipsa ægrotare †: et verisimile est, alios itidem inquinatos, post idem spatium, morbo corripi.

---

* Vid. SUTTON. *on Inoculation.*

† Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 20.

LXXVII. Qui, hoc semel tabo infectus, *scarlatinâ* laboravit, idemne tamen manet aptus, qui iterùm morbum nanciscatur? Perpauci quidem, si probis auctoribus credamus, hoc morbo bis correpti sunt * ; sed longè maxima pars hominum haud amplius semel afficitur.

LXXVIII. Hæc tabes, in sanguinem delata, febrem excitat, et pauciora plurave malorum, quæ suprà narravimus. Quibus intereà urgentibus, sanguis, similiter ac fermentescentes humores, mutationem subit; quâ, modo nondùm cognito, pars ejus vertit se in ejusdemmodi tabem, quæ, in novis corporibus, possit gignere ejusdemmodi morbum.

---

* Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 24.

PARS V.

QUÆ NOTÆ SPEM, QUÆ PERICULUM OSTENDANT.

LXXIX. NUNC ad eam rei nostræ partem pervenimus, in quâ quærendum est, quæ notæ vel spe consolentur, vel metu terreant. Interest omnium medicorum summâ curâ animos ad morborum signa advertere; ut in quoque morbo præsentire, bonusne eventus expectandus sit, an malus timendus, et ægroto ejusve amicis percunctantibus prædivinare sciant. Cùm ità sit, paucas explicabimus notas, ex quibus præsagiri in futurum intelligant medici.

LXXX. Qui, *scarlatinâ* affecti, faucibus inte-

gri sunt, levissimèque febriunt; qui, efflorescente cute, aliquanto meliùs se habent, et adhuc meliùs cute deflorescente; scire licet, eos non periclitari. Levis etiam morbi est, alvum, paulò post morbi accessum, consistere; ulcera faucium rubescere; ægrum nec vigiliâ perpetuâ, nec sopore premi; spiritum non difficulter trahere.

LXXXI. Contrà, gravis morbi periculum est, ubì alvus non tempestivè consistit; ubì faucium ulcera latè patent, altè carnibus insident, pertinaciter inhærent, et, ad gangrænam vergentia, livent, aut nigriçant. Mali etiam morbi testimonium est, diarrhœam, opio sopitam, regredi, et vires dissipare; alvum, insciente ægro, fæces dejicere; naribus vel ore, vel auribus sanguinem effundi; fœminis, supra modum, abundare menses. Pessimum est, ubì spirandi labor est et dolor, ac, inter spirandum, collum resupinat æger; et ubì halitui intolerabilis inest odoris fœditas. In propinquo mors est, si inhorrescunt et inal-

gescunt membrorum extremitates ; si tremiscunt et formicant arteriæ ; si hebescunt et caligant oculi ; si æger sopore obruitur, neque potest devorare.

PARS VI.

QUA RATIONE SCARLATINA CURETUR.

LXXXII. CÆTERIS rei propositæ partibus absolutis, reliquum est, ut paucis exponamus, quâ ratione morbus, quem agitamus, ad sanitatem perducatur.

LXXXIII. Quum *SCARLATINA SIMPLEX* plerumquè levior sit, quàm ut medicinam postulet, non opus est, ut hìc loci de ea dicamus. Enimvero ad eam sanandam nihil aliud requiritur, quàm ægrum, per paucos dies, à stimulantibus se abstinere, et intereà alvum semel quotidie solvere; simulque vivere esculentis potulentisque, quæ corporis calorem temperent. Sanguinem mittere, nisi ex ju-

venibus robustis, neque ex his quidem amplius semel, utì raró opus est, ità nunquàm ferè tutum.

LXXXIV. Eadem ferè curatio nonnunquàm conveniet *BENIGNÆ ANGINOSÆ*. Sed, cùm in hâc et *MALIGNA*, fauces ulcerentur, et febris sæpè pejor sit et periculosior, quædam præterea medicamenta et remedia plerumquè requiruntur.

LXXXV. Medicorum est, si tempestivè advocentur, initio id agere, ut morbi vim temperent, ne ægrum in vitæ discrimen adducat; dein, morbo progrediente, cavere, ne ulcera in gangrænam abeant, et putrescant humores; postremò, morbo finito, revalescentis vires reficere, et aquæ inter cutem, si qua, subvenire.

LXXXVI. *PRIMO CONSILIO*, mitiganda inflammatio est, neque tamen infirmandum corpus. Hunc in finem, ex adultis cibis lautioribus

assuetis, modò ætate etiamnum floreant, et pleni sint, et magnâ vi febris urgeantur, utile forsan sit *SANGUINEM* semel parciùs *DETRAHERE*. Aliis verò ægris, et aliâ febre, sanguinem emittere, non modò non tutum est, sed perniciosum.

LXXXVII. Ineunte morbo *VOMITUS*, si non sponte oriatur, *tartrite potassæ stibiato* aut *ipecacuanâ* moveri debet. Tempestiva enim vomitio, ut comperti sunt medici, morbum nonnunquàm prorsùs discutit; vel saltem ejus vim adeò frangit, ut per reliquum cursum levior sit, rariùsque lethalis. Ubì vomitio sponte oritur, utile periculo compertum est, ægrum assumere diluentes quosdam humores, qui faciliorem reddant. Hoc consilio, nihil melius est, quàm aqua, in quâ fervidâ macerati chamæmeli flores sunt.

LXXXVIII. Quòd si, ut sæpè, gravis initio vomitus oritur, neque posteà optatò conquiescit, sed ægrum multùm vexat et debilitat,

quamprimum sedandus est. Hunc in finem, medicus præcipere debet, ut æger *citratem potassæ* etiamnum effervescentem assumat; vel, quod forsan melius, dilutam *potassam* et *citricum acidum* seorsùm, ut in stomacho ipso commista effervescant. *Citrate potassæ* parùm valente, præscribere debet medicus, ut *aromatica* aut *opium* adhibeat; et, si nihilo minùs urgeat vomitus, injungere, ut ventri extrinsecùs superinducatur exulceratorium, quippe quo nihil ad vomitum pacandum plùs valeat.

LXXXIX. Eodem consilio, oportet vespere, ubì febris ingravescit, ægri corpori *AQUAM FRIGIDAM* affundere, eâdemve idem lavare; dein ægrum, simul atque aquâ satìs perfusus sit, lecto composito et sicco imponere. Hoc facto, arteriæ motus temperant; calor mitescit; et humescit cutis. Quandocunquè signa febris denuò increscunt, idem opus repetendum est; neque à hujusmodi redintegrationibus desistendum, donec, temperato calore, et sedatis

nimiis arteriarum motibus, febris aut inclinet ad salutem, aut desinat. GERARDUS *, CURREIUS †, GREGORIUS ‡, et alii periti et prudentes medici, bonis avibus perfusionem experti sunt; neque videtur, cùr, tantis tamque præclaris ducibus, cæteri non itidem experiantur.

XC. Veruntamen, quò perfusio ad spem respondeat, oportet medicum animadvertere, quâ temperie æger sit; qualiter moveantur arteriæ; et humidane sit cutis, an arida. Ne quis medicorum audeat aquâ frigidâ corpus perfundere, nisi æger sic febriat, ut cutis sicca sit, et calor tamen, et arteriarum motus cùm vi tum numero, excedant calorem et mo-

---

* Vid. CURR. *Medical Reports*, vol. I. pag. 67.

† Vid. CURR. ejusd. oper.

‡ Aud. GREGOR. Prælect. *de Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

tus naturales *. Quippe, sudore, horrore, et debili languidoque arteriarum pulsu reclamantibus, corpus perfundere nefas est, aut pretium est morbum ingravescere, et ægrum mori.

XCI. Post febrem aquâ frigidâ mitigatam, utile compertum est, longioribus intervallis, corpus *AQUA TEPIDA* lavare; cujus temperiem quævis *thermometri Fahrenheitiani* nota, inter octogesimam septimam et nonagesimam septimam, indicat.

XCII. Alvus, si ut persæpè initio morbi, pessimè fluat, cohiberi debet; ne vires usquè eò dissipentur, ut non supersint quæ reliquam morbi vim perpeti queant. Hunc in finem, æger, post assumpta quædam, quæ acres sordes diluant et obtundant, velut aquam decoctam sive ex carne vitulina, sive ex pullo gal-

* Vid. CURR. ejusd. oper. vol. I. pag. 18.

linaceo, sive hordeo, debet *OPIUM* et *ASTRINGENTIA* assumere, quæ motus nimios sedent et compescant. Eadem hæc necessaria erunt, ubì morbo provectiore urgeat alvi proluvies.

XCIII. Si colli glandulæ multùm intumuerunt, non mediocriter proderit extrinsecùs iis *EMPLASTRA EXULCERATORIA*, aliud post aliud, inducere, donec morbus inclinatus sit *.

XCIV. *SECUNDO CONSILIO*, optima medicamenta sunt ea, quæ vires sustentant, et obstant putredini. Hujusmodi sunt, *CINCHONÆ CORTEX*, diversaque ex hoc præparata: *ACIDA*, tam nativa, quæ ex maturis *dulcacidis* fructibus expressis parantur; quàm *sulphuricum* dilutum: *VINUM*, præcipuè rubrum LUSITANUM, per se aut aquâ dilutum; et vinum ex pomis.

---

* Vid. HEBERDEN. oper. citat. pag. 26.

XCV. Dum autem hujusmodi medicamentis toti corpori subvenitur, oportet etiam succurrere laborantibus faucibus. Hæ sanè, ne abeant in gangrænam et computrescant, debent identidem gargarizari liquidis quibusdam, quæ, dum sordes abluunt, gangrænæ obstent et putredini. Hujusmodi sunt, aqua decocta ex *cinchonæ* cortice, commixta cum æquali mensurâ aquæ decoctæ ex hordeo; et vinum rubrum LUSITANUM aquâ dilutum.

XCVI. Infantum, quippe qui fauces gargarizare nequeant, in ora idem liquores, succive, si qui jucundiores, virtutibus similes, per fistulam immittendi sunt. Quòd si hos sic immittendos nolunt, oportet persuadere, ut ipsi identidem eos sorbillent.

XCVII. Sanguinis profusiones è naribus, vel ore, vel auribus, quippe cùm humores eò, ut putrescant, inclinare indicent, et igitur pericu-

losissimæ sint, debent quamprimum inhiberi *ASTRINGENTIBUS* humoribus, aut linteis adstrictorio humore madidis, parti, undè scaturit sanguis, admotis.

XCVIII. *CONSILIO TERTIO*, necessarium est idoneam diætæ, exercitationis, et vestitûs rationem habere. Dum revalescens cibis levibus, nutrientibus, ac salubribus vivit, et potu miti, jucundo, ac imbecillo stomacho apto: debet quotidie se leviter exercere aut rhedâ, aut ambulatione in loco hieme aprico, æstate umbroso; simulque corpus contegere vestibus, quæ à frigore tutentur, et cutis halitum eliciant.

XCIX. *AQUA INTERCUS* haud rarò *benignæ scarlatinæ anginosæ* supervenit. Nonnunquàm, viribus revirescentibus, brevi sponte evanescit. Aliquandò autem necessarium est, medicamentis, quæ *ALVUM MOVEANT*, velut *supertartrite potassæ*, salutiferæ Naturæ cona-

minibus subvenire; vel, quod fortassè satius est, medicamentis, quæ CITENT URINAM, nempè *supertartrite potassæ*, scillâ maritimâ, vel *digitali purpureâ*.

FINIS